

Potschka

Prolegomena  
in jus civile  
romanum.

1776.







*Pri. 2 num. 1*

GEORGII HENRICI POTSCHKA  
E. V. L. AC IN SVPREMO S. R. I. CAMERALI  
IVDICIO PRACTICI

PROLEGOMENA  
IN  
IVS CIVILE  
ROMANVM

AD  
FACILIOREM TYRONVM CAPTVM  
METHODO SIMPLICI ET NATVRALI  
CONSCRIPTA,  
ANNEXO INSIMVL CONSPECTV SCHEMATICO  
INTEGRARVM INSTITVTIONVM SVO TEMPORE  
ELABORANDARVM.



KÖNIGLICH  
UNIVERSITÄT  
ZU HALLE

*He 3704*

WETZLARIAE,  
IMPENSIS PHILIPPI IACOBI WINCKLERI, SEN.  
MDCCLXXVI.

28. 2. 06.

GEORGII HUMBOLDTI  
VIZI  
DR. OBERSTEN  
IVS CIVILE  
ROMANVS  
L. I. DE  
L. II. DE  
L. III. DE  
L. IV. DE  
L. V. DE  
L. VI. DE  
L. VII. DE  
L. VIII. DE  
L. IX. DE  
L. X. DE  
L. XI. DE  
L. XII. DE  
L. XIII. DE  
L. XIV. DE  
L. XV. DE  
L. XVI. DE  
L. XVII. DE  
L. XVIII. DE  
L. XIX. DE  
L. XX. DE

**N**  
lec  
dec  
me  
bu  
nu  
D.  
tio  
Pa  
ita  
be







## BENEVOLE LECTOR!

**N**ON venit ex horto flosculus iste meo, sed ea, quae in unum collecta deprehendis, ex variis Auctoribus decerpta esse palam profiteor, omissis tamen, ut brevis sim, Illorum adlegationibus. Ne Te turbet turbatus Institutionum legalis ordo; quemadmodum enim D. IUSTINIANVS ex Pandectis Institutiones extrahens ordinem titulorum in Pandectis occurrentem non observavit; ita Regis ad exemplum egomet meum libellum ex Institutionibus extrahens illum

titulorum ordinem selegi, qui maiorem  
facilitatem discentibus afferre mihi vide-  
tur; quin eo minus censuram merebor,  
si ipsam IUSTINIANI Institutiones confi-  
cientis mentem et voluntatem magis con-  
secutus fuero, quam ipse IUSTINIANVS;  
Ratio autem impulsiva conficiendarum In-  
stitutionum fuerat, ut faciliorem aeternum  
ad sacrosanctum Iustitiae templum iuris-  
prudentialium catechumenis et cultoribus  
commonstraret, quem ordine meo (salvo  
meliori aliorum iudicio) commonstrare  
mihi videor; ne autem via regia Institu-  
tionum excidas, erigam ad marginem si-  
gnum aliquod, quod viam ubique Tibi  
demonstret. h. e. adsignabo, quotus Ti-  
tulus cuiusque Libri veniat explicandus.

Errata moderate corrige, et meis  
conatibus fave. Vale.

CON-





CONSPECTVS  
TOTIVS OPERIS.

---

**D**IVIDAM opus hoc in *Prolegomena*, et  
*tres Libros*, continuatis per totum  
*Paragraphis*, §§.



A 3

PRO-



## PROLEGOMENA.

Sistent breviter a) quaedam lineamenta alienius Reipublicae cum genuina definitione et divisione legis, b) Imperatorem et Status I. R. G., c) leges Imperii *domesticas*, d) *peregrinas*, attamen *receptas*, quo pertinet 1) *Ius Civile Romanum* (ubi totum Corpus Iuris Civilis Iustiniani annexa in simul historia in suas collectiones divisum addito ubique adlegationis modo exhibebitur. 2) Corpus Iuris Canonici in suas collectiones divisum addito rursus adlegandi modo, e) legum *peregrinarum* receptionem, huiusque causas, f) *authoritatem* et *valorem* legum, g) *ordinem* legum in decidendis causis observandum.

## LIBER I.

## IUS AD REM.

*Ius in genere* potest sumi pro lege, quo pertinent *constitutiones Principum*, vel pro *complexu legum eiusdem speciei* (Tit. 2. L. 1. de *Iure Nat. Gentium et Civili*); quarum finis est iustitia et salus subditorum (Tit. 1. L. 1. de *Iustitia et Iure*). *Ius resultansque* inde obligatio vel concernit *personas* vel *res*, unde *Ius* est vel *personale* vel *reale*. *Iura et obligationes personalia* a) *oriuntur* vel A) *immediate ex statu*



tu personarum, vel B)mediate per interveniens aliquod factum.

A) Immediate ex statu diversa iura et obligationes oriuntur pro diversitate statuum. Divisio summaria status est in statum *naturalem*, qui varius est, et suo loco explicabitur, et in *civilem*, qui subdividitur in statum 1) *libertatis*, 2) *civitatis*, 3) *familiae*, et 4) *bonestatis*.

1) Status *libertatis* dividitur in *liberos in specie tales* et in *servos* (Tit. 3. L. 1. de iure personarum). Liberi sunt vel *ingenii* (Tit. 4. L. 1. de ingenuis) vel *libertini* (Tit. 5. L. 1. de libertinis), quam libertatem dare nec omnibus, nec ex quacunque causa licet (Tit. 6. L. 1. Qui et ex quibus causis manumittere non possunt).

2) Ratione status *civitatis* alii sunt *peregrini*, alii *cives*.

3) Ratione status *familiae* alii sunt *sui*, alii *iuris alieni*, quo pertinent *patresfamilias* et *fili* etc. (Tit. 8. L. 1. de his, qui sui, vel alieni iuris sunt) inter quos *patria potestas* intercedit (Tit. 9. L. 1. de patria potestate), quae a) *adquiritur* 1) *iustis nuptiis* (Tit. 10. L. 1. de nuptiis) 2) *adoptionibus* (Tit. 11. L. 1. de adoptionibus) b) *solvitur* variis modis (Tit. 12. L. 1. quibus modis ius patriae potestatis solvitur), inter quos *mors patris* est, ubi *fili* fiunt



quidem sui iuris, sed quia saepe inhabiles sunt propter aetatem vel aliud vitium corporis sive animi in ordine ad res suas administrandas, actionesque suas dirigendas, debent accipere personas ad educandum et administrandum, quae tutorum et curatorum nomine veniunt (*Tit. 13. L. 1. de Tutelis. Tit. 23. L. 1. de Curatoribus*), fit autem  $\alpha$ ) aliquis tutor sequentibus modis, sive tutela quoad constitutionem est 1) testamentaria (*Tit. 14. L. 1. Qui testamento tutores dari possunt*) 2) legitima agnatorum (*Tit. 15. L. 1. de legitima agnatorum tutela*) 3) legitima patronorum (*Tit. 17. L. 1. de legitima patronorum tutela*) 4) legitima parentum (*Tit. 18. L. 1. de legitima parentum tutela*) 5) fiduciaria (*Tit. 19. L. 1. de fiduciaria tutela*) 6) dativa (*Tit. 20. L. 1. de Atiliano tutore et eo qui ex lege etc.*), quia autem tutor et curator pupillum non possunt educare, illiusque bona administrare, nisi concedatur ipsis aliqua potestas disponendi circa actiones, resque pupilli, talis potestas ipsis debet attribui (*Tit. 21. L. 1. de auctoritate tutorum*), ne autem sua auctoritate in praeiudicium et damnum curandi abutantur, debent cautionem praestare (*Tit. 24. L. 1. de Satisfatione Tutorum vel Curatorum*); non autem fit  $\beta$ ) aliquis tutor, quia excusatur (*Tit. 25. L. 1. de excusatione tutorum vel curatorum*)



ratorum), vel si factus fuerit tutor, ex certis causis removeretur et variis modis finitur tutela (*Tit. 26. L. 1. de suspectis tutoribus et curatoribus*). Triplex status iste nempe *libertatis, civitatis et familiae* amittitur percipitis diminutionem (*Tit. 16. L. 1. de capitis diminutione*).

NOTA. Titulus 7. *L. 1. de Lege Caninia* ab ipso Iustiniano tanquam inutilis est reiectus §. *un. Inst. b. Tit.*

4) Ratione status *honestatis* personae aliae sunt *honestae*, aliae *infames*, aliae *levis notae macula* notatae.

B) *Mediate*, scilicet per facta intervenientia oriuntur obligationes et iura personalia et quidem per facta *propria* vel *eorum*, qui specialem respectum ad nos habent. Haec facta sunt vel *licita* nempe I) *conventiones*, vel *illicita*, scilicet II) *delicta*.

I. *Conventio* dividitur in *contractum* et *pactum* (a) *pactum* est vel *nudum*, vel *non nudum*, non nudum dividitur in *legitimum*, *praetorium*, *adiectum* etc. (b) *Contractus* sunt (c) *veri*, vel (d) *quasi contractus*; veri sunt vel *expressi*, vel *taciti*, hique sunt vel *nominati* vel *innominati*; nominati sunt α) *reales*, β) *verbales*, γ) *litterales*, δ) *consensuales* (*Tit. 14. L. 3. de obligationibus*).

α) *Reales* 1) *mutuum*, cui plerumque accedit *fideiussio* (*Tit. 21. L. 3. de fideiussoribus*) 2) *commodatum*, 3) *depositum*, 4) *pignus* (*Tit.*



15. L. 3. quibus modis re contrahitur obligatio).
- β) Verbales dividuntur in *solemnis dotis dationem* et *stipulationem* ( Tit. 16. L. 3. de verborum obligationibus ), in qua plures aliquid promittere vel sibi stipulari possunt ( Tit. 17. L. 3. de duobus reis stipulandi et promittendi ) dividitur stipulatio ratione personarum, quae vel stipulantur vel stipulari iubent in *praetorias, iudiciales, communes, conventionales* ( Tit. 19. L. 3. de divisione stipulationum ), quae stipulationes sunt vel *validae* vel *invalidae* ( Tit. 20. L. 3. de inutilibus stipulationibus ), ubi effectus stipulationum validarum, quandoque non ad stipulantem, sed ad alium pertinet ( Tit. 18. L. 3. de stipulationibus servorum ).
- γ) Litterales ( Tit. 22. L. 3. de litterarum obligationibus ).
- δ) Consensuales sunt in genere ( Tit. 23. L. 3. de obligationibus ex consensu ), in specie 1) *emptio venditio* ( Tit. 24. L. 3. de emptione et venditione ) 2) *locatio conductio* ( Tit. 25. L. 3. de locatione et conductione ) 3) de *contractu emphyteuseos*, 4) *societas* ( Tit. 26. L. 3. de societate ) 5) *mandatum* ( Tit. 27. L. 3. de mandato ).
- d) Quasi contractus ( Tit. 28. L. 3. de obligationibus, quae quasi ex contractu nascuntur ).
- b) Amittuntur iura et obligationes personales ex contractibus descendentes variis modis ( Tit.



( *Tit. 30. L. 3. Quibus modis tollitur obligatio* ).

- II. Delicta sunt a) *vera* vel b) *quasi delicta*, vera sunt *publica* vel *privata*, *privata* (c) sunt 1) *furtum* ( *Tit. 1. L. 4. de obligationibus, quae ex delicto nascuntur* ) 2) *rapina* ( *Tit. 2. L. 4. de vi bonorum raptorum* ) 3) *damnum iniuria datum* ( *Tit. 3. L. 4. de Lege Aquilia* ) 4) *iniuria* ( *Tit. 4. L. 4. de iniuriis* ). *Publica* (d) ( *Tit. 18. L. 4. de publicis iudiciis* ).
- b) *Quasi delicta* ( *Tit. 5. L. 4. de obligationibus, quae quasi ex contractu nascuntur* ) *Tit. 7. L. 4. quod cum eo, qui in aliena potestate est, negotium gestum esse dicitur. Tit. 8. L. 4. de noxalibus actionibus.*

LIBER II.

IUS IN RE.

**R**es iuridice considerata est multiplex ( *Tit. 1. L. 2. membrum unum de rerum divisione et adquirendo rerum dominio* ); potest ius reale non tantum per nos sed etiam per alios nobis adquiri ( *Tit. 9. L. 2. per quas personas cuique adquiratur* ); sunt autem quatuor species iuris in re; vel enim res pertinet ad τὸ nostrum *conditionate*, unde *pignus*, vel *absolute*, si *absolute* vel *quoad usum* et sic oritur *servitus*, si *quoad proprietatem*, tunc rursus subdistinguo: vel res *absolute* quoad proprietatem ad τὸ nostrum



strum pertinens est res *universalis*, et tunc oritur *haereditas*, si autem res *singularis*, adest

- 1) *Dominum*, quod variis modis acquiritur (*Tit. 1. L. 2. membro 2. de acquirendo rerum dominio*).
- 2) Ex ultima voluntate quod acquiritur, est vel *principale*, vel *accessorium*; *Principale* est

I. *Haereditas*, *accessorium* sunt

II. *Legata*.

I. *Haereditas* defertur A) ex *testamento* 1) *valido* vel B) *ab intestato*.

A) Ex *testamento* *valido* acquiritur vel a) *immediate* vel b) *mediate*.

- a) *Immediate* si quis *haereditatem* ex *testamento* acquirit, *testamentum* debet esse a) *validum*, ad cuius valorem variae *solemnitates* requiruntur, et hoc est *testamentum* *solemne* (*Tit. 10. L. 2. de testamentis ordinandis*), nisi *leges* intuitu *solemnitatum* alias sub *poena nullitatis* observandarum vel pro parte vel in totum dispensarunt (*Tit. 11. L. 2. de testamento militari*); Vbi autem hac *solemnitates* observari debent, sunt vel *internae*, vel *externae*; ad *internas* pertinet *legitima haeredum*, qui sunt variae *qualitatis* et *differentiae* (*Tit. 19. L. 2. de haeredum qualitate et differentia*) *Institutio* (*Tit.*



14. L. 2. de haeredibus instituendis), inter quos liberi, fratres, sorores et parentes in certis casibus debent institui, aut ex iustis causis exhaereditari (Tit. 13. L. 2. de liberis exhaeredandis).

b) Mediate si quis haereditatem ex testamento accipiat, vel ideo accipit, quia a) testator absolute haeredi restitutionem haereditatis alteri faciendam iniunxit, vel β) conditionate?

a) Si absolute, adest fideicommissum, quod per codicillos potest relinqui (Tit. 25. L. 2. de Codicillis), & est vel universale (Tit. 23. L. 2. de fideicommissariis haereditatibus), vel singulare (Tit. 24. L. 2. de singulis rebus per fideicommissum relictis).

β) Si conditionate quis haereditatem mediate ex testamento accipiat, vel ideo accipit, quia filius ante pubertatem est mortuus, vel quia haeres haereditatem non potest aut non vult adire? in 2do casu adest substitutio vulgaris (Tit. 15. L. 2. de substitutione vulgari), in primo casu adest substitutio pupillaris (Tit. 16. L. 2. de pupillari substitutione).

γ) Invalida sunt vel fiunt testamenta variis modis (Tit. 12. L. 2. quibus non est permissum etc.) Tit. 17. L. 2. quibus modis testamenta etc. Tit. 18. L. 2. de inofficioso testamento.

B) Suc-



B) Successio ab intestato secundum Novel-  
lam CXVIII. unde successio antiqua est  
sublata, quare Titulum 1. usque 13. inclu-  
sive L. 3. omittemus.

II. Legata sunt varia ( *Tit. 20. L. 2. de Legatis* ),  
quae scriptis semel legatariis vel in totum  
possunt adimi ( *Tit. 21. L. 2. de ademptione le-  
gatorum* ) vel saltem minui ( *Tit. 22. L. 2.  
de lege falcidia* ).

3) Tertia species iuris in re est *servitus*, quae  
dividitur in *realem* ( *Tit. 3. L. 2. de servitu-  
tibus praedialibus* ) et in *personalem* ( *Tit. 4.  
L. 2. de usufructu. Tit. 5. L. 2. de usu et ha-  
bitatione* ).

4) Quarta species iuris in re est *pignus* vel  
*hypotheca*. Egimus hactenus de *acquisitio-  
ne* harum specierum iuris in re. *Amittun-  
tur* hae species iuris in re, sicut et ipsae res

- 1) *praescriptionibus* ( *Tit. 6. L. 2. de usucapio-  
nibus et longi temporis praescriptionibus* ),
- 2) *donationibus* ( *Tit. 7. L. 2. de donationibus* )
- 3) *valida alienatione* ( *Tit. 8. L. 2. quibus  
alienare licet vel non* ).

### LIBER III.

#### DE IUDICIO.

**A**ctiones oriuntur a) ex statu personarum,  
b) ex iure ad rem, c) ex iure in re, d) vel  
ex iure in re et ex iure ad rem simul; inde  
pro-



proveniunt actiones *præiudiciales*, *personales*, *reales*, et *mixtae*, ubi actiones personales quandoque dantur contra tertium, et dicuntur *in rem scriptae*. Ratione *finis* aliae sunt *rei persecutoriae*, aliae *poenales*, aliae *mixtae*. Ratione *originis* aliae sunt *civiles*, aliae *praetoriae*, plerumque propter aequitatem introducae, quo pertinent *restitutiones in integrum*. Ratione *obiecti* aliae sunt *petitoriae*, aliae *possessoriae*, huc spectant *interdicta*; ratione contractuum aliae sunt *bonae fidei*, aliae *stricti iuris*; aliae oriuntur ex *facto proprio*, aliae ex *alieno*, quo pertinent actiones ex facto alieno *licito* vel *illicito* oriundae; Omnes hasce species actionum petitoriarum congruis locis in ipso decursu statim subiiciam, reservata huc tantum materia *restitutionum in integrum*, uti et *interdictorum* (*Tit. 6. L. 4. de actionibus Tit. 15. L. 4. de interdictis*); quod ipsum procedendi modum concernit, ante litis contestationem potest reus ab actore cautionem petere, sicut et in certis casibus actor a reo (*Tit. 11. L. 4. de satisfactionibus*); actionem institutam potest reus variis exceptionibus elidere (*Tit. 13. L. 4. de exceptionibus*), inter quas pertinet praescriptio actionum (*Tit. 12. L. 4. de perpetuis et annalibus exceptionibus*), hasce potest reus vel per se vel per alium opponere, sicut et actor suam actionem per alium instituere (*Tit. 10. L. 4. de iis, per quos agere possumus*), potest reus cognita partis adversae malitia poenas temere litigantium implorato



plorato nobili officio iudicis exigere ( *Tit. 16. L. 4. de poena temere litigantium.* ) Actor exceptiones a reo propositas studet annihilare per replicam ( *Tit. 14. L. 4. de Replicis* ), contra quam se reus defendit duplicando ( *cit. Tit.* ) et denique suo fungitur iudex officio ( *Tit. 17. L. 4. de officio iudicis* ).

## PROLEGOMENA.

### §. I.

**S**uperior est persona, cui non tantum sunt vires malum aliquod nobis repraesentandi, si contra voluntatem suam nobis declaratum agamus, sed et qui iustas habet causas exigendi a nobis obedientiam; pone enim alteri equidem competere facultatem malum aliquod nobis infligendi, sed nullam adlegare possit rationem, quare a me obedientiam exigat, talis dicitur *me terrene*, quia ad effugiendum maius malum ipsi tantisper pareo; at remoto metu frustra a me expectabit obedientiam, nihilque obstat, quo minus meo potius, quam alterius arbitrio agam; pone ulterius aliquem destitutum esse viribus malum aliquod repraesentandi, et tamen habere iustas causas a me exigendi obedientiam, ridebo huius iussa, eaque impune a me possunt violari.

### §. 2.



§. 2. Superiori correlative opponitur inferior, et est, a quo obedientiam exigendi superior iustas habet causas; in cuius animo oriri debet metus reverentia temperatus, ita, ut, postquam superior significaverit, quid velit, etiam remoto aliquod malum infligendi metu inferior voluntatem eius ideo etiam sequatur, quia alter habet iustas causas obedientiam exigendi.

§. 3. Deus ter optimus maximus hominem ad sui imaginem creavit, quem facultate volendi et intelligendi dotavit, adeoque existentiam, vitam, motum, et quidquid habemus, habemus a Deo; unde Deus iustas habet causas, ut actiones a creaturis voluntati suae conformiter poni exigat; porro habet ipse Deus facultatem infligendi malum contra voluntatem suam nitentibus; est enim omnipotens.

§. 4. Deus est Superior omnium hominum (§§. 1, 2, 3.) et quidem per se, ex natura sua.

§. 5. Deus, qui solus est Dominus vitae, necis, et membrorum nostrorum non ideo homini hominem ad sui imaginem creatum associavit, ut imago contra creatorem suum insurgeret, ut imago imaginem sibi similem destrueret, aut creatura in propria viscera sua saeviret; sed ideo, ut opus

B

hoc



hoc artefactum gloriam et honorem artificis sui eum diligendo, laudando, colendo promoveret, aeternamque aliquando felicitatem consequeretur, ut praeterea proximum suum, sicut se ipsum diligeret, ut se, quantum per vires humanas liceret, conservare et perficere studeret.

§. 6. Ast, cum tantae hominum multitudini maxima voluntatum, inclinationum et studiorum diversitas indita reperiarur, finis creationis non potuisset obtineri, nisi omnibus una praescriberetur norma, iuxta quam omnes suas actiones liberas dirigere moraliter necessitarentur i. e. nisi normae a Deo praescriptae convenienter agerent, tunc ipsos celeri pede poena insequeretur, profecto sic voluntas, quae absolute normam posset negligere, moraliter necessitatur ad agendum conformiter normae, quia alias poenam tanquam malum sustinere deberet, praecipue cum voluntas sit potentia appetitiva boni, et averfativa mali.

§. 7. Haec norma est *Lex*, adeoque lex est norma a superiore praescripta, iuxta quam inferiores actiones suas dirigere moraliter necessitantur; unde fluit, quod a) solus superior leges condere possit, b) ipse superior non teneatur suis legibus, c) aequalis aut inferior leges dare non possit, d) in subditis oriatur moralis necessitas iuxta legem agendi,



agendi, id est *obligatio*, quae est moralis necessitas a lege imposita liberis inferiorum actiones determinans ad aliquid agendum, vel omittendum; pater insimul ius et obligationem esse correlativa.

§. 8. Ulterius concluditur, ex definitione legis, duas esse partes essentielles legis, nempe prima (*definitiva* dicitur) est per quam determinatur, quid sit faciendum aut omittendum; altera (*vindicativa* dicitur) per quam poena determinatur, quam sustinere debeat ille, qui propter pravitatem ingenii in vetita tendere amantis a norma praescripta recesserit; quemadmodum enim supervacaneum et ridiculum foret dicere: *hoc fac*, si non facientem nulla maneret poena; ita etiam absurdum foret dicere: *poenas dabis*, ni causa, quae poenam mereatur, praecesserit.

§. 9. Quanquam omnes homines a natura sibi invicem aequales sunt, utpote ex iisdem partibus constantes, adeoque nullus altero sit inferior aut superior; nihilominus potest tamen Deus, qui ius habet omnibus imperandi, certis personis ex numero hominum potestatem aliis suis conhominiibus leges praescribendi concedere *immediate*, uti cum Magistratus inter Iudaeos subsistente *Theocratia* ipse olim constituebat; aut *mediate*, quando nimirum alter tale factum sub-



iectionis ponit, ad quod implendum voluntas divina obligat, e. g. si quis alteri per pactum se subiicit; siquidem mediante pacto, quod Deus per legem suam naturalem servari iubet, alterius inferior evado.

§. 10. Talis superior in omni republica habetur, qui nomine *Imperantis, Principis, Regis* etc. venit; habet talis iustam causam exigendi ab illis obedientiam, qui Illi se subiecerunt (§. 9.). Competit ipsi etiam potestas malum aliquod repraesentandi subditis, si normae a se praescriptae convenienter agant, adeoque est verus superior (§. 1.); ab hoc superiore forma reipublicae denominatur, nempe si persona physica sit superior, adest *Monarchia*, si certus Magistratus sit in superiorem electus *Aristocratia*, si autem certus Magistratus nomine vicario ipsius populi rempublicam administrat, *Democratia* appellatur.

§. 11. Insignis hominum multitudo in rempublicam consociata propter diversitatem voluntatum et inclinationum (§. 6.) non posset finem sibi praefixum consequi scilicet securitatem, nisi superiori in republica concederetur facultas per legum vincula, quibus unice compages reipublicae conservatur, subditorum libertatem naturalem constringendi, actionesque illorum liberas in bonum communitatis dirigendi.

§. 12.



§. 12. Ex duplici superiore et legislatore scilicet Deo (§§. 4, 5, 6.) et homine (§§. 9. 10.) oritur divisio legis in *divinam* et *humanam*, divina Deum, humana hominem pro auctore habet; Divina si datur pro omnibus hominibus, dicitur *universalis*, si autem pro certa tantum gente aliqua, *particularis* dicitur e. g. *Lex Mosaica*, quae Iudaeos in veteri testamento tantum obligabat, haec lex particularis si dabatur in rebus ecclesiasticis, *ceremonialis*, si in politicis, *forensis* audiebat; hoc ius divinum particulare sublata republica iudaica quoque est sublatum.

§. 13. Leges humanae sunt totuplices, quotuplices sunt respublicae, quarum nulla alteri superior aut inferior est; inter respublicas pertinet etiam Imperium Romano-Germanicum, cuius Imperans CAESAR ET STATUS IMPERII sunt, der Kaiser und die Reichsstände; sunt autem Status Imperii, qui in Comitibus Imperii universalibus, *allgemeinen Reichstagen* iure voti et sessionis gaudent; ipsa vero *Comitia* sunt conventus publici Imperatoris et Statuum ad negotia totum Imperium concernentia communi deliberatione et consensu definienda.

§. 14. Nulla respublica potest in salvo consistere, nisi legum vinculis constricta teneatur (§. 11.); quare et Germaniae suae debent esse leges; sunt autem illae ratione



*originis vel domesticae* i. e. ab Imperatore et Statibus Imperii latae, vel *receptae*, quae ab alio Imperante extra Germaniam latae, ab Imperatore autem et Statibus Imperii civitate donatae sunt, ita, ut in republica germanica pondus legale habeant; leges domesticae vel feruntur in Comitibus, vel a singulis Imperii Statibus pro eorum territoriis, in primo casu *lex universalis*, in secundo *particularis* emergit; *lex universalis* si concernat iura et obligationes inter Imperantem et subditos, *fundamentalis*, si iura et obligationes privatorum inter se concernat, *non fundamentalis* audit; fundamentales, quia ad scopum meum non pertinent, silens praetereo.

§. 15. Gaudent Status Imperii sic dicta *superioritate territoriali*, der Landeshoheit (a), quae est potestas maiestati analogae, seu clarius est complexus iurium maiestaticorum dependenter a Caesare et Imperio Statibus pro eorum territoriis competentium; Districtus, cui haec superioritas territorialis inhaeret, sub nomine *territorii* continetur.

(a) Instrumentum Pacis Westphalicae Articulo VIII. §. 1. „Omnes et singuli Electores, Principes et Status Imperii in antiquis suis iuribus, praerogativis, libertate, privilegiis, *libero iuris territorialis* exercitio etc. vigore huius transactionis ita stabiliti, firmitque sunt, ut a nullo unquam



„quam sub quocunq; praetextu turbari  
 „possint aut debeant.

§. 16. Primum locum inter iura superioritatis territorialis sibi vindicat potestas leges ferendi pro suis territoriis, quam ipsae leges Imperii disertis verbis agnoscunt, et iudicia quoque Imperii secundum eas pro indole causarum pronunciare debent (b).

(b) Videatur C. O. C. P. I. T. XIX. pr. et Tit. LXXI. ord. *Iud. Imp. aul.* Tit. I. §. 15. Tit. VII. §. 21, 24, et *Recess. Imp. Noviss.* de a. 1654 §. 105. „(sollen beyde Gerichte)  
 „in keiner Sache allein auf ihr Gutbedun-  
 „ken und eigensinnige Meinung, sondern  
 „auf des Reichs gemeine Abschiede, Reli-  
 „gions- und Profan- Frieden, Münster-  
 „und Osnabrückischen Friedensschluß, und  
 „Kaiserl. Wahl- Capitulationen, wie auch  
 „ehrbaren landischen Ordnungen, Sta-  
 „tuten, und redlichen ehrbaren Gewohn-  
 „heiten der Fürstenthümer zc. Urthel fassen.

§. 17. Status Imperii dum leges ferunt vel illas ferunt pro toto suo territorio vel tantum pro aliquo ordine hominum e. g. opificum, vel pro aliquo tantum loco sui territorii? Si primum, tunc est lex provincialis, eine Landes- Verordnung, si secundum aut tertium, tunc habemus legem, quae in specie dicitur *statutum*; pone nunc plures eius-



modi leges provinciales in unum volumen colligi, oritur *Ius patrium*, das Landrecht, addito cognomine territorii e. g. Bambergisches Landrecht. Habet profecto patria mea, cur IMMORTALI PRINCIPI SVO ADAMO FRIDERICO immortales persolvat grates propter *collectionem legum provincialium Bambergensium* sub gloriosissimis auspiciis, summoque iussu CLEMENTISSIMI PRINCIPIS HVIVS editam; pertinuit opus hoc diu ad pia desideria, de quorum felici eventu vix non desperatum fuisset; at perfecit PRINCEPS CLEMENTISSIMVS, Germaniae nostrae Solon, quod impossibile videbatur; patere PRINCEPS LONGE CLEMENTISSIME! ut patria collectioni huic nomen imponat: CODEX ADAMO FRIDERICIANVS ad invidiam Imperatorum Romanorum, qui collectiones legum sub regimine suo editas a suo appellaverunt nomine e. g. *Codex Iustinianus*, *Theodosianus*; at cuius opera in compilando tam arduo opere usus est PRINCEPS CLEMENTISSIMVS! Viri, cuius merita in patriam meam sunt eximia, planeque singularia; est is Clarissimus ac Consultrissimus D. *Joannes Melchior Hannauer* Consiliarius intimus, et Curiae feudalis Bambergensis Praefectus, quem merito Tribonianum, Ulpianumve Bambergensem nominavero; at cum finis meus sit, *Ius Civile Romanum* explicare, non vero leges patrias, quae a Clarissimo authore suo donum claritatis iam acceperunt, edita insimul anno 1769. commendatione



ditione sistematica in ius patrium, eas mis-  
 fas facio.

§. 18. Eiusmodi autem leges provin-  
 ciales vel *expresse* promulgantur, vel *ta-  
 cite*, prout consensu Statuum Imperii ex-  
 presso, vel tacito nituntur. Consensus ex-  
 pressus efficit legem *scriptam*, tacitus vero,  
 i. e., si Status Imperii talia facta ponat, ex  
 quibus illius voluntas colligi potest, cum  
 actibus subditorum non contradicat, quod  
 tamen si nolle, facere deberet, efficit le-  
 gem *non scriptam* seu *consuetudinem*, *Ge-  
 wohnheit*. Sufficiant haec de legibus Imperii  
 ac territoriorum domesticis.

§. 19. Ad leges peregrinas, sed receptas  
 tamen nunc devenio, quo pertinet *Ius Civile  
 Romanum*, *Ius Feudale Longobardicum*, et  
*Ius Canonicum*; est autem Ius Civile Roma-  
 num complexus legum civilium ab Impera-  
 toribus Reipublicae Romanae olim latarum,  
 quae a Iustiniano novo legum robore dota-  
 tae sunt, Ius vero Canonicum est complexus  
 legum ecclesiasticarum, in quo multa super  
 causas civiles disposita reperiuntur, et prop-  
 terea etiam quoad civilia est receptum; pari-  
 formiter loquere de Iure Feudali Longobar-  
 dico; Liber continens collectiones Legum  
 Civilium Romanarum et respective Ecclesia-  
 sticarum dicitur *Corpus Iuris Civilis* et re-  
 spective *Corpus Iuris Canonici*; Collectiones

B §

Legum



Legum Civilium in Corpore Iuris Civilis Romani contentarum vel iussu publico aut confirmatione aut usu et praxi valuerunt, et dicuntur *publicae*, vel a privatis collectae sunt absque iussu publico vel confirmatione aut praxi accedente, et dicuntur *privatae*; ad publicas collectiones in Corpore Iuris Civilis pertinent a) *Institutiones*, b) *Digesta*, c) *Codex repetitae praelectionis*, d) *Novellae Iustinianae*; ad privatas pertinent e) *XIII. Edicta Imperatoris Iustiniani* f), *Constitutio Imperatoris Iustini* g), *Constitutio Imperatoris Tiberii*, *aliaeque diversae Constitutiones Corporis Iuris Romani post Novellas insertae* h), *Novellae Leonis*, de quarum omnium origine nunc agendum, i) et tandem claudunt Corpus Iuris Civilis Romani *Consuetudines Longobardicae Feudales*; de Corpore Iuris Canonici ex post dicitur.

## DE ORIGINE IURIS CIVILIS ROMANI.

§. 20. Non exiguum momentum ad consequendam pleniorum legum notitiam et intelligentiam, evitandasque contradictiones affert historia originem legum sistens, accedente praesertim aliquo ordine, quod ut eo feliciter et facilius consequamur, historiam Iuris Civilis Romani in tres epochas dividimus, quomodo Leges Civiles Romanae 1) *ante tempora Iustiniani*, 2) *temporibus Iustiniani*,



niani, et 3) *post tempora Iustiniani sese habuerint*; tempora vero anteiustiniana rursus in tres Reipublicae mutationes subdividamus, quarum *prima* originem legum *sub Regibus*, *secunda* originem legum in *Democratia*, *tertia* originem legum *sub Imperatoribus* exhibeat.

## I) TEMPVS ANTEIVSTINIANEVN.

§. 21. Et quidem ut a statu regio initium ducamus, Respublica Romanorum initium sumit sub *Romulo*, quo tempore moribus ibi introductis et consuetudinibus patriis, sicut aliae gentes antiquissimae, regeretur; sed patrii mores non sufficiebant omnibus casibus in orta noviter republica occurrentibus; hinc arbitriis Regum defectus patriarum consuetudinum et morum supplere populus reliquit, omniaque *manu regia* gubernabantur; quare Reges Romani si quid fieri, aut omitti a civibus vellent, publice id edicebant, unde nata sunt *edicta regia*, quae fuerunt supplementa consuetudinum patriae et morum deficientium ex populi concessione a Regibus publice proposita vel per praeconeum promulgata.

§. 22. Sed Romulo rigidius imperante populus datam Romulo potestatem patrios mores supplendi revocavit, ipseque leges *flagitavit* h. e. tulit, et quidem in Comitibus *curiatis* \*).

\* )



\*) *Comitia curiata* erant, in quibus populus primo in tres, deinde vero in triginta curias a Romulo distributus curiatim suffragium ferebat; si ergo lex condenda erat, convocabatur populus, et quidem solemnibus hisce verbis: *velitis, iubeatis Quirites* h. e. Romani! ut haec lex condatur!

§. 23. Talem reipublicae faciem sequentes Reges *Numa Pompilius, Tullius Hostilius, Tarquinius Priscus et Servi Tullii*, qui in comitiis etiam *centuriatis* \*) leges rogarunt usque ad *Tarquinius Superbum* ob tyrannidem a populo, civitate et regno expulsam videntur. Leges haec nomine *legum regiarum* veniunt et interdum *lus Papirianum* a *Publio Papirio* earum collectore vocantur. En primam mutationem iuris Romani anteiustiniani.

\*) *Comitia centuriata* a Centuriis, in quas *Servus Tullius* populum divisit, erant, in quibus populus romanus centuriatim suffragium ferebat, ad haec omnes cives romani iure suffragii gaudentes, ubiubi essent, convocari debuerunt, quia omnes pro ratione *census*, quem reipublicae solvebant, erant in *centurias* relati. *Vide. Clar. Hopp. ad Instit. Cap. 1. §. 15. pag. 7.*

§. 24. Regibus ob stuprum violentum a *Tarquinio VI. Lucretiae Collatinae* illatum exactis successerunt duo *Consules* nomine, numero



mero et diuturnitate regiminis tantum diffimiles, eadem potestate leges supplendi, ac antea Reges praediti, ubi leges regiae non ut regiae in odium Regum, sed ut consuetudines et mores recepti valebant; ast Consulibus et Patriciis aristocratiam affectantibus plebs per truculentiam Patriciorum ad seditionem commota in *montem* tunc temporis *sanctum* trans *Anienem* amnem secessit, priusque non rediit, donec ipsi ius concederetur, magistratum ex plebe creandi, qui eam contra Senatus consulta plebi nociva tueretur; quaecunque igitur plebs plebeo magistratu rogante constituit, *plebiscita* vocabantur, adeoque leges a patriciis et tribunis ac plebe ferebantur; unde patriciis sese Tribunisplebis et viceversa opponentibus ad turbas componendas fuit conventum, tres legatos Graeciam tunc temporis legibus floridam mittendi ad apportandas Romam Graeciae leges; his legatis ingenti farragine legum Romam reversis eligebantur *Decemviri*, qui ex allatis legibus et patriis Corpus legum Romanarum conficerent, quod et hac ratione praestiterunt, ut conscriptas in decem aeneis tabulis leges et promulgatas prius populo et Centuriarum suffragiis maiorum more probatas publice proposuerint, sparso rumore, duas adhuc tabulas illis ad perfectionem deesse; cum exposit Decemvirale illud imperium in tyrannidem abiret, populusque magno duarum tabularum desiderio



derio teneretur, tandem et istae tabulae altero anno prodierunt, quo facto decemvirale imperium propter *Appii Claudii* libidinem \*) praecipue fustulerunt. Hae duodecim tabulae usque ad irruptiones Barbarorum in provincias romanas viguerunt, quae irruptiones omnia fusque deque vertebant, paucaque illarum fragmenta relinquebant.

\*) *Appius Claudius* amore formosissimae puellae virgineae captus pretio et precibus adeo annexus est, ut illam semper recusantem in servitutem vindicare contra legem ipse suam non dubitaverit, cuius libidini ne satisfieret, pater virgineus filiam adacto in pectus ferro trucidavit, quo comperto motus castrensis et seditio populi primo in montem *Aventinum*, exposit in montem sacrum secedentis prius sopita non est, donec de abrogando Decemviratu certa spes facta fuerit.

§. 25. Gliscente rursus aemulatione inter Patricios et Tribunos plebis plebs patribus varias praerogativas suis plebiscitis extorsit, quae cum parere nolebant Patres, plebs in montem sacrum rursus secedens non rediit, nisi electis duobus *Consulibus popularibus* scilicet *Lucio Valerio* et *Marco Horatio*, qui legem in comitiis centuriatis tulerunt, ut quod tributum Plebs iussisset, populum teneret; sed nova lex, nova fraus, Patres se  
populi



populi nomine comprehendi negabant, inde *Publius Dictator* populari lege sanxit, ut plebiscita *omnes Quirites* tenerent, quo nomine se ipsos pariter comprehendi non poterant negare, Patres interim ultionem spirantes populum acerbitate iniquissimi foenoris tanta presserunt, ut plebs desperans in montem *Ianiculum* secederet, remediumque in Electione novi Dictatoris *Q. Hortensii* quaereret, quod et invenit lege nova acuratus lata, ut, quod plebs iussisset, omnes quirites teneret, unde plebiscita nomen et vim legis tulerunt.

§. 26. Legibus XII. tabularum non erat expressus modus ius suum persequendi, quod est *agere*; hinc Patres aristocratiam affectantes certos ritus et formulas partibus litigantibus tam pro actibus in iudicio, quam extra illud expediendis praescribent, quibus ius suum constitutis certis diebus coram magistratu explicarent; unde natae sunt *actiones legis* et *actus legitimi*; actus enim formularii et solemnes vel in causa *litigiosa* vel *non litigiosa* peragendi erant, in primo casu *actiones legis*, in secundo *actus legitimi* aderant. Latens hoc formularium arcanum ab *Appio Claudio* in codicem collectum *C. N. Flavius* scriba publicavit, et propterea aedilis curulis creatus; sed Patres excogitatas noviter formulas non litteris, sed notis h. e. certis signis, quibus unum, plurave vocabula involve-



volvebant, conscripserunt, quas tamen *Sex-tus Aelius* homo egregie cordatus prodidit, unde *Ius Aelianum* et *Flavianum* \*) occurrit.

\*) L. 2. §. 7. ff. de Orig. Iur.

§. 27. Occurrit quoque sub libera republica *Ius honorarium* a magistratibus profectum; quemadmodum enim quilibet magistratus iure gaudebat in causis ad suum forum pertinentibus legalem defectum supplendi, vel obscuritatem per interpretationem tollendi; ita quoque suam de hisce causis sententiam publice per *Edicta* significabant, ex quibus potissimum *edicta praetorum* et *aedilium* originem ducunt, tot vero sunt edictorum species, quot fuerunt diversi magistratus; praetorum edicta *civium lites*, edicta aedilium *curulium politicae curam* pro obiecto habuerunt; hac potestate leges supplendi et interpretandi magistratus sunt abusi, legesque excogitatis noviter verbis et fictionibus sustulerunt per sua edicta; haec edicta vel a successoribus retinebantur, et audiebant *tralatitia*, vel successores nova promulgabant, et audiebant *nova*. En originem legum romanarum anteiustinianearum in statu democratico latarum sive in secunda mutatione reipublicae romanae latarum.

§. 28. Ordo nunc tangit leges sub Imperatoribus latas. Imperatores monarchiam affectantes facultate legesferendi adeo expresse



se uti volebant, ne populi libertatem diminuere viderentur. Prodierunt igitur a *Tiberii* temporibus, qui comitia in curiam transtulit, *Senatus consulta*, quae sunt iura praevia Imperatoris oratione in Senatu constituta.

§. 29. Ulterius progressi sunt *Tiberii* successores, et lineamenta futurae monarchiae magis vivide expresserunt; vidit enim *Hadriani* temporibus respublica romana sic dictas *Imperatorum constitutiones*, quae erant iura ab ipsis Imperatoribus constituta, postquam enim Imperatorum potentia tantum cepit incrementum, ut in Senatu cuncta ab eorum nutu penderent, nuda voluntate *Hadrianus* tandem sine praevio Senatus decreto iura constituit, quo tempore constitutiones imperatoriae initium coeperunt.

§. 30. *Hadrianum* subsequentes eius successores hunc modum condendi iura solliciti sunt secuti, quae etiam in magnam faraginem excreverunt, et eorum collectio sub nomine *Codicis* venit; multorum labor in conficiendis constitutionum imperatoriarum collectionibus versatus fuit, inter quas ante *Iustinianum* confectas conspicuae eminent, *Codex Gregorianus*, *Hermogeneanus*, *Theodosianus*. *Gregorianus* ab auctore *Gregorio* seu *Gregoriano* dictus regnante *Constantino Magno* lucem aspexit, constitutiones imperat-

C

rard-



ratorias Imperatorum ante *Carolum Magnum* regnantium complectebatur, postea *Hermogenes*, seu ut alii volunt *Hermogenianus* novo Codice edito constitutiones in Codice Gregoriano omittas aut non recte positas exhibuit. Vterque Codex licet partus privatorum ingeniorum erat, de magna tamen auctoritate in foris sibi gratulari potuit, sed eam sibi a Iustiniano, uti paulo post, ademtam lugebat. Codex *Theodosianus* iubente Theodosio iuniore confectus et anno 438. publicatus Imperatorum, qui a *Constantini Magni* temporibus fuerunt, constitutiones exhibet.

§. 31. Adulta tandem Imperatorum maiestate consensescere cepit magistratuum et praesertim Praetorum auctoritas, qui singulis fere annis nova condebant edicta (§. 27.); mutata erat reipublicae forma, Imperatoresque Monarchiam efformaverunt; hinc facultatem edicta promulgandi olim praetoribus competentem sustulerunt, sibi que vindicarunt, et iussu *Hadriani* edictum *perpetuum* Magistratibus et praetoribus dabatur, iuxta quod negotia sua administrarent, donec aliud ab ipsis Imperatoribus constitueretur.

§. 32. Ultimo tandem scripta veterum Iureconsultorum superstitione forum est veneratum, licet in diversas non raro sententias abierint; unde rursus dubium ius subortum est, cuius ICI nimirum sententia iudici standum



dum sit; huic pariter malo medelam adlatu-  
 ri *Theodosius Iunior* et *Valentinianus* edide-  
 runt anno 426. constitutionem, qua iusserunt  
*Papiniani*, *Pauli*, *Caii*, *Ulpiani* et *Modestini*  
 scripta in foro valere et in dissensu pluralita-  
 tem opinionum vincere, in aequali vero nu-  
 mero *Papiniani* sententiam praevalere; habes  
 nunc tertiam mutationem reipublicae roma-  
 nae ante tempora *Iustiniani*, legumque ori-  
 ginem; ad tempora *Iustiniani* nunc descen-  
 dimus.

## 2.) TEMPVS IVSTINIANEVN.

§. 33. *Iustinianus* circa annum Christi 483  
 in civitate *Achrida*, ut communiter existi-  
 mant, urbe in hodierna *Bulcharia* natus pa-  
 trem ignobilem habuit, matrem vero *Iustini*  
 Imperatoris sororem; ex post vexilla secutus  
*Iustinum* Imperatorem avunculum suum tan-  
 quam patrem adoptantem veneratus est, de-  
 inde ad varia dignitatum officia, scilicet Ma-  
 gisterium militum et consulatum promotus a  
 patre suo adoptivo senescente in imperii so-  
 cietatem optatus et pariter adoptatus est.  
 A. Ch. 523; mortuo autem patre adoptivo  
 A. Ch. 527 mense August. solus imperii fas-  
 ces tenuit, iam dum annos XLV. natus, pri-  
 mum laborem sequente anno in eo posuit, ut  
 iurisprudentiam romanam ceu confusum  
 chaos dirigente *Triboniano* sacri Palatii quae-  
 store in ordinem redigeret.

C 2

§. 34.



§. 34. Primo se convertit ad colligenda iura illa, quae in foro potissimum observabantur; erant autem constitutiones in Codicibus Gregoriano, Hermogeniano et Theodosiano contentae, quibus accesserunt constitutiones novae a Theodosii successoribus usque ad Iustinianum editae, propterea notandae, quia per has ipsi Codici Theodosiano multum derogabatur; ex omnibus hisce iurium speciebus confici mandavit Codicem sic dictum *Iustinianicum*, in quibus obsolera extirparentur, et concordia legum discordantium fieret, quod in sequente anno 529. ad finem perduxit; sed non diu legalis auctoritas huic Codici stetit, siquidem ut paulo post audiemus, sublata est per novum Codicem *repetitae praelectionis* dictum.

§. 35. Ad innumera Iurisconsultorum volumina, ex quibus iura petebantur, se contulit, quae cum admodum dispersa sine lux, sine crux, sine ordine tanquam anima omnium rerum circumvolitarent, auctore Triboniano adiunctis insuper aliis ICTis ex ICTorum monumentis (retento tamen nomine illius ICTi, ex quo lex defumebatur) extrahit atque in ordinem *diggeri* iussit; unde nomen: *digesta* huic Codici datum est, quod etiam nomine *Pandectarum* venit, a graeca voce πᾶν et τεγῶμαι, omnia complecti, quasi hic liber esset universa Bibliotheca legalis; hunc codicem Tribonianus, eiusque socii



in L. *libros* diviserunt, libros in suos *titulos*,  
 proposita paucis materia, de qua in sequen-  
 te titulo ageretur, seu *rubrica*, titulos in suas  
*leges* I. leges in *§vos* et quaelibet lex constat  
*principio* et *fine*; unde modus aliquam legem  
 ex Digestis adlegandi est sequens: primo  
 ponitur L. i. e. Lex, secundo quota  
 lex e. g. L. 3. tertio additur ff. sive D. i. e.  
 digestorum vel pandectarum et ultimo rubri-  
 ca tituli, ex quo lex adlegata desumpta est  
 e. g. L. 55. ff. *de re iudicata*. Rubrica haec in  
 indice Corpori Iuris praeposito secundum  
 alphabetum inquiritur, ubi annotatum inve-  
 nies librum et titulum, inquire nunc librum,  
 dein titulum huius libri, exposit legem, et  
 tandem adlegatum *§vum* e. g. L. 44. §. 4. ff.  
*de conditionibus et demonstrationibus*. Inquire  
 nunc in indice alphabetico et invenies Lib.  
 XXXV. Tit. i. nunc legem 44. citati tituli  
 inquire illiusque *§vum* 4. si principium ali-  
 cuius legis sit ad legandum ponitur L. 44.  
*in prin. ff. de conditionibus* etc. si finis, ponitur  
 L. 44. *in fin. ff. de conditionibus*.

NOTA. Occurrit in libris 30, 31, 32. eadem  
 rubrica nempe *de legatis et fideicommissis*,  
 unde ut intelligatur liber, additur de Le-  
 gatis I. primo i. e. L. 30. II. de legatis  
*secundo* i. e. liber 31. de legatis III, *tertio*  
 i. e. L. 32.

§. 36. Tres potissimum vulgo recen-  
 sentur pandectarum editiones, nempe *vulga-*



ta, *Haloandrina* sive *Norica et Florentina*. *Florentina* inde dicitur, quod anno 1406. *Giunus Caponius* exercitus florentini praefectus civitate Pisarum capta Pandectas in magnam triumphi sui partem Florentiam transtulerit, ubi eadem cura, uti apud *Pisanos* adhuc hodie intra cimelia magni Ducis asservantur; in hisce Pandectis florentinis nulla punctorum notatio, nulla dictionum intervalla reperiuntur; unde si per omissionem, adpositionem, transpositionem interpunctionum contradictiones legum tolli possunt, hoc absque correctione fieri potest, prout in tractatione ipsius operis exempla suppeditabo. *Haloandria* ab auctore suo *Haloandro* alias *Hoffmanno* dicta, nec non *Norica* vocatur, quia anno 1529. Calend. April. *Noribergae* sumtibus Senatus edita est, prout rubrica huius editionis ostendit. *Vulgata* est, ut DD. loquuntur, quae nec est *Norica*, neque *Florentina*, seu quae in omnium manibus est, et qua DD. antiquiores post *Irnerium* usi sunt, quae rursus multiplex est, prout multi Doctores scriptum aliquod vetustum exemplar aliter legebant, et interpretabantur; ita multa exinde prognata sunt exempla vitiis scatentia; interim licet florentina editio, a qua omnes libros, quibus hodie utimur, manasse, eruditorum est opinio, suas patiatu manes, omnibus tamen reliquis Pandectarum editionibus merito praefertur.



§. 37. Ingentem profecto molem quinquaginta Pandectarum libri effecerunt, ne autem tironum ingenia nimia mole obruerentur, et sic a discendo deterrerentur, Iustinianus mandavit suo *Triboniano*, *Theophilo* ac *Dorotheo*, ut prima iurisprudentiae principia paucis ac brevibus ex Pandectis exciperent, quod et factum est, siquidem mense Novembri XI. Calend. Decemb. III. Cal. Ian. publicata sunt, robur tamen legale eodem die, quo Pandectae, etiam *Institutiones* acceperunt; hae *Institutiones* praemisso proaemio divisae sunt in quatuor *libros*, libri in *titulos* praemissa ubique rubrica, tituli in *§vos*, ita, ut ante *§vum* primum sensus quidam praemittatur, qui nomine *principii* venit, et sensus ultimus aliquem *§vum* claudens dicatur *finis*; unde ex institutionibus sequenti modo fit adlegatio: §. 2. *Instit. de Donationibus*. Inquire nunc in Indice Corpori Iuris praeposito et invenies quo libro, quo titulo; invento titulo inquire citatum *§vum* et Index in dato exemplo monstrabit *Titulum 7. L. 2.*

§. 38. Omnis labor iste in reformando iure susceptus nondum omne punctum tulit, sed varias controversias dies attulit, partim iam ante inter ICtos agitatae, partim vero de novo emergentes, quarum decisio specialia Rescripta desideravit, et quia per has constitutiones Codici, de quo in §. 34. derogabatur,



batur, vel addendo quid, vel demendo vel plane immutando; inde Imperator iussit codicem novum, cui novae decisiones (harum quinquaginta numerantur) & aliae novae constitutiones Iustinianae infererentur, correctis corrigendis, et omissis omittendis confici, per quem prior codex iuridice loquendo in nihilum redactus est, prohibita omnino illius adlegatione; unde factum est, ut codex ille, ad quem Imperator in institutionibus saepe provocat, nostra tempora non viderit. Novus codex iste promulgatus fuit mense Decembr. anno 534 et nomen *repetitae praelectionis* tulit, propterea quod de novo revisus antiquatis legibus antiquis purgatus, novisque constitutionibus fuerit adauctus; Dividitur *Codex iste repetitae praelectionis* in 12. *Libros*, libri in *Titulos*, tituli in *Leges*, leges prolixiores in suos *svos*; unde Codex adlegatur per maiusculum C. deinde ponitur L. i. e. lex et tandem quotus *svus* e. g. L. 22. §. 2. *C. de Episcopis et Clericis*, inquire nunc in indice, qui monstrabit L. 1. T. 3. et nunc in hoc titulo quaere legem 22, illiusque §. 2.

NOTA. Iphis legibus Codicis subiiciuntur quandoque sic dictae *authenticae*, in quantum legibus codicis derogant, et sunt privata autoritate excerpta ex *Novellis* (de his in *svo* subsequente) et constitutionibus *FridERICI I.* et *II.*



§. 39. Publicato codice repetitae praelectionis cum adhuc casus aliqui vel nondum decisi vel aequiore ordine decidendi occurrerent, sequenti anno 535 edidit novas constitutiones, quae *Novellarum* nomine veniebant; non uno, sed diversis temporibus ac successive, prout casus decidendi incidebant, in publicam lucem prodierunt; hae *novellae* tanquam leges posteriores haud raro legibus Codicis derogabant, quae derogationes ad faciliorem observationem ipsi Codicis lectioni subiectae reperiuntur, paucis tamen extractae; haec excerpta ex *Novellis* et *Constitutionibus* Friderici I. et II. desumpta, legibusque Codicis subiecta *authenticarum* nomine veniunt, a diversis Doctoribus sicut ipsae *Novellae* diversis temporibus natae sunt. *Novellae* quoad numerum sunt 168, quae dividuntur in sic dictas *novem collationes*, collationes in *titulos*, tituli in *praefationes* et *capita*, capita suos interdum habent *§vos*; hinc modus adlegandi a recentioribus Ictis receptus sequens est: ponitur maiusculum *N.* vel *Nov.* Deinde *quota* *novella* e. g. 1, 2, 3 etc. et tandem additur, quo capite e. g. *Nov. 23. Cap. 1.* et si habet *§vos*, citatur; ita hodie. Veteres autem Icti communiter per nomen *authenticae* eas adlegare solent et per *§vos*, per quos capita intelligunt addita rubrica e. g. *auth. de prole partienda inter rusticos §. nam si* i. e. *Nov. 56. Cap. 1.*; imo veteres Doctores numerum collationum

C 5

subii-



subiicere solent e. g. *authen. ut sponsalit. largit. §. nullam vero. Collat. 9. i. e. Nov. 117. Cap. 4.*

NOTA. Ista distributio novellarum in novem collationes et titulos non a Iustiniano, a quo successive et dispersim editae sunt, sed a Doctoribus privatis, sicut ipsae rubricae novellarum, facta est.

### 3. TEMPVS POSTIVSTINIANEVV.

§. 40. Vitam, laboresque iuridicos Iustinianus finiit an. 565. die 13. Nov. annos 83. et 7. menses natus eique successit *Iustinianus secundus Iustiniani* ex filia nepos aut ex sorore filius. Ius Iustinianicum a subsequenteribus fuit observatum, ira tamen, ut quaedam pro facultate sibi competente immutarent, aut pro exigentia circumstantiarum editis pariter novellis tollerent, quae tamen ad nostra tempora non pervenerunt, exceptis novellis *Leonis* Corpori Iuris adiunctis; de quarum auctoritate brevi dicendum; attamen pedetentim Iuris Iustiniani splendor in Oriente occidit, partim quod invidia successorum Iustiniano palmam gloriae praeripere aut saltem dubiam facere allaboraverit, partim quod studium Latinae linguae cognitionem acquirendi in Oriente evanuerit, partim quod ad compositas a Leone Philosopho libros 60 *βασιλικῶν*, licet ex legibus Iustinianicis idiomate



mate et ordine immutato fuerint extracti, potius lites deciderentur.

NOTA. Novellas Leonis in Corpore Iuris excipiunt variae constitutiones a variis Imperatoribus editae, prout privatus author et interpres *Agylaeus*, cuius studio privato Corpori Iuris sunt adnexae, praetendit.

§. 41. Ante saeculum duodecimum pariter Ius Iustinianum nequidem quoad duodecimam sui partem usum et applicationem habuit; donec tandem saeculo duodecimo aliquam auctoritatem nanciscebatur ea occasione, quod an. MCXXVIII. *Irnerius ICrus Bononiae* primus Iuris civilis interpretationem suscepit, conscriptis insimul Commentariis suavis *Matbildis*, Comitissae per Italiam potentissimae; cui accedebat, quod eodem tempore publica Iuris schola fuerit instituta atque exstructa, unde per Italiam iure quasi postliminii iterum in observantiam ius illud est deductum, praecipue cum plures Doctores se subsequentes indefessis studiis viam ab Irnerio ceptam strenue cucurrerint.

§. 42. Vltimum demum locum in Corpore Iuris civilis occupant consuetudines feudales, quae sunt collectio legum feudalium a *Carolo Magno*, eiusque successoribus usque ad *Fridericum II.* latarum, additis insimul privato



privato studio consuetudinibus Curiae feudalis Mediolanensibus ab *Oberto de Orto* et *Gerardo Nigro* Consulibus ibidem et regnante Friderico I. ex memoratis collectionibus ab *Hugolino de Porta Ravenate* nova compilatione adornata est; hanc collectionem *Jacobus de Ardizone*, decisionibus et sententiis feudaliibus auxit sub nomine *Capitulorum extraordinariorum*. Constat collectio consuetudinum feudalium quinque libris, ex quibus tertius plane deficit, de quarto et quinto fragmenta adsunt, duo primi libri sunt completi, *capitula extraordinaria* sunt, quae habentur a *lib. 2. feodorum* 72; adlegatio fit sequenti modo: exprimi solet titulus et liber, et quidem prior numerus librum, posterior titulum significat e. g. 2. f. 6. i. e. *Lib. 2. feod. Tit. 6.*; textus autem in Iure feudali perinde per capitula, interdum vero per *svos* adlegantur e. g. *C. Naturales* 2. f. 26. sive *§. Naturales*; veteres autem Doctores numerum et librorum et titulorum tantum per rubricas adlegarunt e. g. *§. Si vero. Quid sit investitura*, quod hodie idem est. *C. si vero* 2. f. 2.; alii vero modernorum rubricam tituli et titulum eiusque *§. pbum* simul addunt e. g. *§. filia. 1. feod. 8. de succ. feod.* Hae sunt collectiones, ex quibus Corpus Iuris Civilis Romani constat, nunc agendum de Corpore Iuris Canonici.

*Dicatur de Etymologia Decimae Collationis.*

DE



## DE CORPORE IVRIS CANONICI.

§. 43. Historiam Iuris Canonici, quam Scriptores Iuris Canonici, quos inter primus omnium mihi venit *R. P. Ignatius Mulzer* pie emortuus in sua Historia Iuris Canonici Bambergae MDCCLXXII. edita, pulcherrime enuclearunt, pertractare supersedeo, siquidem Corpus Iuris Canonici stricte sumtum Civilistam non attingat, interim quia tamen et in Civilibus Iuri Canonico, ut infra patebit, sua stat autoritas; paucis contentas in hoc Corpore collectiones exhibebo, addito ubique adlegationis modo.

§. 44. Corpus Iuris Canonici est liber continens collectiones legum ecclesiasticarum (§. 19.), quae collectiones sunt vel *publicae*, vel *privatae*, vel *apogryphae*, i. e. quibus partim spuriae, partim genuinae leges sunt insertae; ad collectiones *publicas* pertinent (a) *Decretales GREGORII IX.*, seu *quinque libri Decretalium*, (b) *Decretales BONIFACII VIII.* seu *sextus liber Decretalium*, (c) *Decretales CLEMENTIS V.* seu *Clementinae*, (d) *Decretales IOANNIS XXII.* sive *Extravagantes communes*; ad collectiones apogryphas pertinet (f) *Devetum GRATIANI*; ad privatas (g) *LANCELLOTTI Institutiones* (h) *liber septimus Decretalium*.



§. 45. Exigeret utique honor collectio-  
nibus Canonico- publicis debitus illas primo  
loco ponere, interim cum collectio apogry-  
pha nempe Decretum Gratiani primam par-  
tem Corporis Iuris Canonici constituat, de  
hac collectione primo agam, ut ordinem in  
ipso Corpore I. C. observatum ad maiorem  
Tyronum facilitatem pariter observem, ad-  
iecta tamen protestatione de non praeiudi-  
cando.

§. 46. *Decretum* GRATIANI (opus hoc  
primum sub titulo: *Concordantia discordan-  
dantium Canonum* prodiit, ut author osten-  
deret in animo sibi fuisse pugnantes Cano-  
nes in harmoniam et ordinem redigere emen-  
datis et suppletis aliorum operis) ab authore  
GRATIANO monacho quodam Bononiensi cir-  
ca an. 1150. seu 51 confectum est, quod variis  
equidem mendis ac erroribus scatebat, quos  
duobus supremis Capitibus comprehendere  
licet: primum est insufficiens notitia histo-  
riae sacrae et profanae, secundum neglectus  
fontium, cum ex anterioribus *Isidoro*, *Bur-  
ckardo Ivone* descripsit, et cum illis fideliter  
erravit; studio privatorum Ictorum ac Pon-  
tificum Romanorum nempe *Pii V*, *IX*, &  
*Gregorii XIII.* iussu purgatio a naevis suis ten-  
tata est, & opus anno Pontificatus *Gregorii  
XXII.* nono emendatum, erroribus tantum  
sub finem Capitulorum annotatis, prodiit,  
exposit variis glossis ornatum.

§. 47.



§. 47. *Decretum* hoc dividitur in tres partes, (a) *prima* continet 101. distinctiones, sub quibus singulis ponuntur *Canones* (alii vocant *Capitula*), qui in *svos* subdividuntur; unde adlegatio in prima parte Decreti fit hoc modo: primo ponitur signum Canonis addito Canonis numero cum vel sine verbis initialibus Canonis: postea signum *Distinctionis*, quod tamen signum quandoque etiam primo loco ponitur. E. g. *Can.* vel *c. Ius gentium* 9. D. 1. vel D. 1. C. 9.

b) Secunda pars complectitur XXXIV. *Causas*, quarum quaelibet in *quaestiones*, & quaestiones rursus in *Canones* subdividuntur. NB. *Causa* 33. Q. 3. continet tractatum *de poenitentia*, qui septem speciales continet distinctiones; hinc adlegatio fit sequenti modo: primo ponitur signum Canonis cum eius numero & interdum verbis initialibus, deinde ponitur signum *causae*, quae tamen saepe non exprimitur, licet pronunciari debeat, eiusque numerus, licet *causa* non exprimat; additur signum *quaestionis* per litteram Q, eiusque numerus e. g. *Can. sic autem Deus* 33. *Caus.* 1. q. 1. vel brevius: *Can.* 33. *Caus.* 1. q. 1. ubi primum C significat Canonem, secundum C. *Causam*; si vero aliquis Canon ex tractatu *de poenitentia* sit adlegandus, ita adlegatur: primum ponitur signum Canonum, deinde distinctionum et eorum numerus, addito: *de poenitentia* e. g. C.



*C. pernicios. de poenitentia* D. 1. quod est quaerendum in *Causa* 33. *quaest.* 33.

c) Tertia pars nempe *de Consecratione* includit 5. *Distinctiones*, quarum quaelibet dividitur in *Canones*, hi rursus in *svos* & adlegatio fit hoc modo: primo ponitur signum Canonis cum suo numero et verbis initialibus, deinde signum quotae distinctionis, & tandem addi debent verba: *de Consecratione* e. g. *Can. cum omne. 7. D. 2. de Consecratione.*

SCHOLION. Decreto sunt insertae quaedam additiones sub nomine *Paleae*, quas ad primae eius collectionis marginem scriptas, dein a librariis quibusdam omissas, a quibusdam in contextu positas, demum inter *Canones* exhibitas credere licet, nomen ab authore *Palea* Gratiani discipulo nactae sunt.

§. 48. Ad *Decretales* (subintellige litteras) nunc devenio, quae in genere sunt Constitutiones Pontificum ad consultationem vel relationem emissae; licet vero in privatis plerumque causis scriptae fuerint, quia tamen ea mente scriptae sunt, ut in similibus causis pro norma haberentur, Constitutionum universalium vim habuerunt, et octo collectiones harum *Decretalium Epistolarum* usque ad *HONORIVM III.* Papam inclusive prodierunt; ast *GREGORIVS IX.* *HONORIO* sue-



succedens saeculo XIII. circa annum 1230. ex quinque collectionibus et ex novissimis constitutionibus per *Reymundum de Pennafort Barcinonensem* ex Ordine Praedicatorum novam collectionem confari fecit, atque ad usum fori et scholarum praecipue aptiorem reddidit, et haec collectio inscribitur: *Decretalium Gregorii IX. Papae Compillatio* in quinque *libros*, libri in *titulos*, tituli in *capitula* §vis distincta, et adlegatio fit hoc modo: primo ponitur signum capituli cum numero vel verbis initialibus vel utrisque simul, numerus §vi cum signo Decretalium: *Xi*; vel *extra*, ut intelligatur hoc capitulum esse *extra* Decretum, non tamen semper addita tituli rubrica, seu in Decretalium indice quaerendus est titulus, quo libro habeatur, et titulo invento quaerendum est capitulum aut per numerum aut per verba initialia citatum: e. g. *C. quoties. X. de pactis*. inquire nunc in Decretalium indice alphabetico titulum *de pactis*, videbis ibi librum citatum, in quo titulus continetur, addito insimul, quotus sit titulus, titulo nunc invento attendas, quodnam capitulum citatum fuerit aut per numerum aut per verba initialia aut per utrumque simul et hoc modo in dato exemplo invenies *Lib. 1. Tit. 35. Cap. 2.*; seu brevius rubrica tituli in indice inventa paulo retro videas, et videbis paginam citatam, qua tuus incipit titulus, nunc inquire capitulum, inque dato exemplo vide *pag. 166.*



§. 49. Novi casus emergentes et nondum decisi novas constitutiones a Pontificibus exigebant, quas et ediderunt INNOCENTIVS IV., GREGORIUS X., NICOLAUS III., ac BONIFACIUS VIII. Novellas Constitutiones hasce colligi iussit BONIFACIUS VIII. per *Guilielmum de Mandragotto* Archiepiscopum Ebrodunensem, *Berengarium Fredoni*, Biturrensis Episcopum, et *Magistrum Richardum de Senis* saeculo XIII. exeunte 1298. adiectis duorum Conciliorum Lugdunensium Decretis, quorum alterum sub INNOCENTIO IV. anno 1247, alterum sub GREGORIO X. anno 1274. habitum fuit; nova haec collectio insignita est titulo: *Liber sextus Decretalium*, propterea quod iam quinque libri Decretalium adessent (§. 48.) adeoque haec collectio esset *sextus liber Decretalium*. Sextus liber hic rursus est divisus *in quinque libros*, libri in *titulos*, tituli in *capitula* et *svos*, unde adlegatio ex libro sexto Decretalium est talis, qualis ex Decretalibus Gregorii IX. e.g. *C. si cui 23. de electione* in 6. h. e. libro sexto Decretalium, adeoque loco signi X. in Decretalibus Gregorii IX. adhibiti adhibetur signum in 6.

NOTA I. Specialem Indicem rubricarum in titulis occurrentium liber sextus Decretalium non habet, sed Index rubricarum in Decretalibus Gregorii IX. occurrentium exhibet ubique etiam libros, titulos et paginam



ginam libri sexti Decretalium, Clementinarum etc. de quibus statim agetur, adeoque eadem via, quam in fine §. 48. assignavi, tuto procedendum est.

NOTA 2. Siquid prius ex libris Decretalium Gregorii IX. est adlegatum e.g. *de electione* et ex post eadem rubrica ex libro 6. Decretalium adlegenda foret, non repetitur rubrica, sed ponitur eius loco vox: *eodem c. g. c. 3. de Electione* et C. 23. eodem in 6.

§. 50. Novo incremento Ius Canonicum auctum est per Constitutiones Concilii Vienenſis Generalis, quas CLEMENS V. Papa cum ſuis, reliſque Bonifacii Decretalibus colligi curavit, aſt morte praereptus fuit, et Ioannes XXII. eius ſucceſſor anno 1317. opus hoc perfecit; ita tamen, ut novam hanc collectionem nomine Clementinarum inſigniverit, dividitur haec collectio in quinque libros, libri in titulos, tituli in capitula; unde adlegatio eadem eſt, quae in Decretalibus Gregorii IX, mutato ſigno X ponitur ſignum Clementinarum: *Clem. NB. Nota 1. §. 49.* Celebris eſt in iſtis Clementinis, *Clement. Saepe* de V. S. ubi ſedes eſt materiae de proceſſu ſummario in praxi tritae ac perſulgatae.

§. 51. Succederunt *Extravagantes* conſtitutiones inde ſic appellatae, quod poſt



sextum Decretalium librum et post Clementinas partim demum latae sint, partim omiffae, et quod extra corpus Constitutionum Pontificarum vagentur. Extravagantes hae sunt dupplicis speciei, aliae enim sunt extravagantes IOANNIS XXII, quia ex folis Decretalibus IOANNIS XXII. constant, et *simpli-* *citer* extravagantes nominantur sub 14. titulis in capitula subdivisis digestae sunt anno 1325. Extravagantes aliae sunt *communes* inde dictae, quod non tantum IOANNIS XXII, sed et aliorum Pontificum Constitutiones continerent, hae in quinque *libros* (sed quartus liber deest), libri in *titulos*, tituli in *capitula* sunt divisa. *Extravagantes* Ioannis XXII. adlegantur sicut Clementinae, ita tamen, ut loco Clementinarum ponatur: *Extravag. Ioannis XXII. de V. S. C. quia non nunquam.* 2. Extravagantes *communes* adlegantur sicut extravagantes Ioannis XXII, ita tamen, ut loco *Extravag. Ioannis XXII.* ponatur *extravag. commun. e. g. C. Sancta in extravag. commun. de electione*, vel *extravag. Sancta commun. de electione.* NB. observa Notam 1. §. 49. propter adlegationem rubricarum in titulis obvenientium.

§. 52. In Calce Iuris Canonici adiungitur aliqua collectio sub nomine: *Liber septimus Decretalium* et est collectio Constitutionum Apostolicarum post sextum, Clementinas,



nas, et Extravagantes editarum, et a *D. Petro Matbaei* ICTO Lugdunensi olim 1590. facta; divisa est in *quinque libros*, libri in *titulos*, tituli in *capitula*, ita, ut modus adlegendi idem sit, ac in Decretalibus GREGORII IX. (§. 48.) mutato tamen signo X ponatur: in *septimo e. g. C. ad Romani. in septimo de beneficiorum collatione. NB. ratione indicis rubricarum vide Notam 1. §. 49.*

§. 53. Claudunt Corpus Iuris Canonici *Institutiones LANCELOTTI ICTi Perusini*, qui has Constitutiones (gloriam Canonici forsan Triboniani affectans) iussu PAVLI IV. conscripsit, Pontifice tamen ante Confirmationem mortuo, quam nec subsequentes Pontifices impertiti sunt, excepto, quod Paulus IV. hasce Institutiones tanquam appendicem Corpori Iuris Canonici adiungi permiserit. Vulgata primo est haec collectio 1563. et quidem proprio nomine ipsius Authoris, hae Institutiones in IV. libros sunt divisae, libri in *titulos*, tituli in *§vos* et hinc adlegatio ita fit: *Institut. Lancellotti Lib. 2. Tit. 3. §. 6.* Sufficiant haec de Corpore Iuris Canonici.

#### DE RECEPTIONE IVRIS CIVILIS ROMANI ET CANONICI IN GERMANIA.

§. 54. Quid sit *receptio*, dictum est in §vo 14, et haec potest fieri vel *expresse* vel *tacite* prout ostendi in Dissertatione mea *de fructibus*



etibus ultimi anni inter allodiales defuncti vassalli haeredes et successorem in feudo pro rata temporis dividendis. Cap. I. Sect. II. quod autem fabula sit, quae de Iure Civili circumfertur, acsi iussu *Lotbarii III.* Imperatoris in foris et academiis receptum fuisset, demonstravit *Clar. Herm. Conningius de origine Iur. German. Cap. XXI. sequent.* quamvis negandum non sit, paulatim Ius Germanicum hoc tempore aliam induisse faciem, siquidem cum totus pene orbis europeus tam cito se Romanum esse factum miraretur, Ius Civile Romanum in Germania lacertos movere cepit.

§. 55. Dictum est §. 41. anno 1128. studium Iuris Romani Iustiniani Bononiae magna docentium fama et discipulorum fame fuisse ceptum, et per subsequenda tempora ita fervens fuisse, ut ex omnibus fere oris orbis cultioris iuvenes tanquam ad mercaturam sapientiae civilis eo confluerent, vidisses ibi *Anglos*, vidisses *Gallos*, vidisses *Burgundiones* et *Hispanos*, qui in patriam suam reduces summis in roga dignitatibus aucti tantum auctoritatis Iuri Romano conciliarunt, ut illo passim tanquam subsidiario uterentur, ipsaque instrumenta iuxta regulas illius Iuris anxia cum diligentia componerent.

§. 56. Quid miri si etiam in Germaniam nostram sibi viam muniverit Ius Romanum, quod



quod ceu evangelium legale et civile ubique magna reverentia fuit receptum, ad quod tanquam oraculum iuridicum omnes confugerunt, attamen totum Ius Romanum non uno actu a Germanis est receptum, sed sensim et pedetentim saeculo XII. auctoritatem consecutum est; ast quibus mediis et gradibus processit? quid Germanos movit, ut illud reciperent?

§. 57. Laborabat eo tempore Germania legum penuria, siquidem Germanos anno 1175. sine lege voluntatem pro iure statuere solitos fuisse, et 1187. pacem publicam in conventu Norinbergensi a FRIDERICO I. sancitam, atque in litteras redactam Friedbriefe, litteras pacis, appellasse, nec aliis legibus uti tanquam gentem agrestem et indomitam *Conradus a LICHTENAV Abbas Visspergensis* expressis verbis testatur in *Chron. pag. 298.* Germania accessione aliarum gentium aucta, commerciis immixta, peregrini moris avida, et apperens ab antiqua morum sanctimonia haud parum defecerat, iuris manuarii, quo gladio omnium litium nodi dirimebantur, licentia per pacis publicae Constitutiones repressa plures lites protulit, siquidem via iuris coram iudicibus experiundum erat, qui sine legibus (his autem Germania carebat) lites non poterant decidere; quin etiamsi suae Germanis fuissent leges tot causis decidendis sufficientes, illas tamen addiscendi occasio

D 4

ante



ante erectas ibidem saeculo XIV. Academias juvenibus deerat, et nonnisi senioribus longa rerum experientia et usu edoctis ad munus iudiciale ascendere datum erat; inde non est mirum, quod Germaniae iuvenes (qui olim desiderio dignitates iudiciales adipiscendi ad modernorum invidiam flagrabant) certatim in Italiam convolaverint.

§. 58. Alter passus Iuris Romani in Germaniam fuit, quod Iura haec Romana augendis Imperatorum rebus et autoritate et efformando Imperio absoluto (*L. 1. prin. et §. 1. D. de Constitut. Princip. §. 6. Instit. de I. N. G. et C.*) apprime idonea fuerint; siquidem FRIDERICI I. auctoritas ope Iuris Romani et ICtorum in Italia tantum incrementum sumfit, ut ipsis adeo Mediolanensibus consentientibus et exemplo praeuentibus in Comitibus apud Roncallias 1158 habitis Imperatori fuerint adiudicata Ducatus, Marchiae, Comitatus &c. omnisque utilitas ex decursu fluminum proveniens, adeoque omnia regalia, et sic Duces in classem magistratuum coniecti fuerint. *Vide Radevicus L. 2. Cap. 4.* Iura haec Germanis etiam familiaria et grata reddere omni studio et arte annisus est Imperator, quod non alio magis opportuno medio adfecturus sibi videbatur, quam si Germanos ad audiendos Iuris Romani Professores in Italiam alliceret, ut iurisprudentiam romanam in succum et sanguinem converterent, redu-

ces-



cesque in patriam nil nisi Romana spirarent, Praeceptorum suorum admiratores plane superstitiosi evaderent, doctrinae suae tenaciter inhaerent, et in quascunque oras deferrentur, in omnibus causis tribunalia et curias procerum suo Romanicismo implerent; finem suum citius adsecuturus in favorem Professorum et Iuriscultorum praecipue Germanicorum edidit celeberrimam illam Constitutionem, quam authenticam *habita* appellare solemus, Codicisque Iustiniani titulo: *Ne filius pro patre* inseri iussit, vi cuius varias immunitates legum Professoribus et candidatis, praecipue studiorum gratia peregrinantibus conceduntur.

§. 59. FRIDERICVS I. pleniorum adhuc effectum Consiliorum suorum intendens, vt iuvenes Germaniae magis, magisque accenderet, ex Italia in Germaniam reversus Iuris Consultorum copiam lateri suo semper adhaerere voluit, eorum consiliis et opera in omnibus negotiis usus; quod cum viderent iuvenes Germaniae, dignitatem Consiliariorum vel aliam togatam impetraturi certatim in Italiam properabant, et alii aliis continuo succedebant, FRIDERICI que successores vestigia sui antecessoris stricte presserunt.

§. 60. Non parum progressus Iuris Civilis Romani promovit, quod tunc temporis usus Iuris Canonici ceperit increbrescere, edito cir-



ca medium saeculi XII. Gratiani Decreto (§. 46.), qui liber a Germanis ad eius usum per collectiones *Isidori* et *Burcharidi* iamiam praeparatis avide exceptus fuisse videtur; quare quemedmodum sui Reipublicae sacrae erant legum interpretes; ita Imperatores sibi dedecori ducebant, nisi legum civilium interpretes constituerent, praecipue cum ipse Gratianus in suo Decreto varias leges civiles Iustinianicas adduceret, multasque infereret.

§. 61. Ipsa rei novitas, quae sua virtute hominum animos in sui contemplationem et usum facile rapit, accedente praesertim et cognita aequitate, quam Ius istud praesefert, ita, ut si omnes circumstantias, in quibus lex aliqua romana, quae nobis dura videretur, condita fuit, accurate sciremus, illud axioma seu potius Brocardicon certe nesciremus: *Lex utut dura, scripta tamen.*

§. 62. Inde factum est, ut iam saeculo XII. in Germania provocatum fuerit ad Ius Civile Romanum, quamvis in Episcoporum Curis Ius Canonicum non exigui usus haberetur, ita, ut saeculo XII. actus civiles ad utriusque Iuris regulas componi ceperint. Ex variis diplomatibus et rerum Germanicarum Scriptoribus eiusmodi formulas collegerunt CLARISS. HERTIVS *de Consultat. de Leg. et Iudic.* §. XIV. et CLARISS. BOEHMERVS *in Iure Ecclesiast. Protest.* L. 2. T. 48.

§. 63.



§. 63. Vberiore adhuc proventum horum testimoniorum protulit saeculum XIII et XIV, quae a variis auctoribus collecta extant, et haec satis indicant, **LOTHARII** temporibus Ius Canonicum et Civile paulatim in oras Germaniae penetrasse, illosque falli, qui haec iura demum saeculo XV ex Academiis in forum irrupisse existimant.

§. 64. Non est proinde mirandum, Iuris Iustiniani studium per universam Germaniam se magis saeculo XV. explicasse, siquidem mentionem *Legistarum* et *Canonistarum*, *Professorum Iurium Civilium*, *utriusque Iuris Caesarei et Pontificii* expressam invenimus e.g. in *Decreto Rhenensi de Iuribus Electorum*, et quo ferventius studia Iuris Civilis tractabantur, eo magis sollicitus erat Pontifex Romanus, prout docent editae Decretalium Collectiones, quas paulo ante exhibui.

§. 65. Germani timentes, ne auctoritas legum peregrinarum tanta evaderet, ut leges domesticas vinceret, de conservando Iure Patrio laborare inceperunt, prout hoc docet *Constitutio OTTONIS IV. Imperatoris* in Comitibus Francofurtanis edita, „*ut omnia Iura a* „*Carolo M. instituta observarentur.*„ *Gothofred. Monach. in Chroni. ad annum MCCCIII;* quin a **LOTHARII** temporibus ipsi Imperatores et Status Imperii frequentius leges novas sulerunt. e.g. *pax publica* in Comitibus Norinber-



bergensibus anno MCLXXXVII. publicata &c. ; imo ipsi adeo Status et Ordines Imperii leges provinciales et Statuta hanc ob causam scribere ceperunt, ut irruentibus in forum legibus peregrinis obicem ponerent Principes et Civitates Iurium suorum tenacissimi.

§. 66. Liberiorem tandem auram captavit Ius Civile Romanum, cum Germania nostra munimentis litterariis i. e. Academiis fuerit fortificata et armata, quod post medium saeculi XIV. contigit. Anno enim MCCCLXV. Vientiensi Universitati VRBANVS Papa id privilegium concessit, *ut sit studium generale, illudque perpetuis temporibus ibi vigeat, tam in Iuris Canonici et Civilis, quam in &c.* Idem privilegium circa an. 1378. Erfordensi Academiae indultum est. Idem Academiae Heidelbergensi 1386. teste *Convingio de Orig. Iur. Germ. Cap. XXXI. pag. 188.*, ac denique Ingolstadiensi an. 1427. apud HVND. *in Metropoli Salisburg. Tom. II. pag. 291.*

§. 67. Nati ex post sunt plures V. I. Doctores, qui Imperatorum, ex post Principum aulas et civitates implebant, ipsique Recessus Imperii ad regulas horum Iurium sunt compositi, et tunc demum Status Imperii internecinam, quae imminebat, Iuris patrii cladem timentes sub *Fridericio III.* sententiam capitalem tulerunt de Doctoribus Iuris civiliter enecandis, uti cognoscitur ex projecto reformationis



tionis de anno 1445. art. 5. „Alle Doctores,  
 „sie seynd geistlich oder weltlich, im H. R.  
 „teutschen Nation sollen nach laut der fürge-  
 „nommenen Reformation an keinen Gericht  
 „bey keinen Rechten mehr gelitten, sondern  
 „ganz abgethan werden, Sed haec sententia  
 executioni non fuit data.

§. 68. Quod felix, faustumque fuerat  
 I. V. Doctores ex hisce mortis angustiiis, ius-  
 que romanum ex suo agone in plenioram vi-  
 tam redierunt, dum per expressas Constitu-  
 tiones Imperii revocata capitali sententia se-  
 des fixa et firma et secura fuit stabilita in tri-  
 bunalibus Germaniae; inter has Constitutio-  
 nes pertinent, Ordinatio Iudicii Cameralis  
 sub MAXIMILIANO I. anno 1495. Wormariae  
 confecta §. XX, ubi Iudex et Adsessores cir-  
 ca adpellationes ab interlocutoriis decernere  
 iubentur iuxta Ius Civile, „wie das in Kaisers  
 „sichen Rechten geordnet und begriffen ist,  
 „et in eadem Iudex et Adsessores iurare tenen-  
 „tur, se iudicaturos, nach des Reichs gemeinen  
 „Rechten, „ibique ad novellam Iustini  
 LXXVII. quem vocat „seinen Vorfahrern am  
 „Reich löblicher Gedächtniß, provocat. Vi-  
 deatur *novus Iudicii Cameralis ordo Ratisbonae*  
*anno MDVII.* editus, ubi in singulis suis  
 mentio Iuris Civilis et Canonici occurrit. Item  
*Constitutio de Notariis anno MDXII.* promul-  
 gata §. 41. „nach Inhalt gemeiner Rechten  
 „(Nov. XLVII, LXXIII. et IV.) Brauch,  
 Uebung



Uebung und Gewohnheit eingeführt ist, Item *Constitutio Criminalis Carolina* in Comitibus Ratisbonensibus anno MDXXXII. promulgata Iudices passim ad Ius Romanum remittit „ auf die Kaiserliche beschriebene Rechte „ &c. ORD. IVD. AVL. Tit. 1. §. 15. et Tit. 7. §. 104. In omnibus hisce sub nomine „ der „ Kaiserlich = gemeinen Rechte „ intelliguntur iura peregrina recepta, prout docet *Clariff. Hellfeld Histor. Iur. Germ. C. 6. §§. 23. et 24.*

§. 69. Attamen haec receptio non principalis, sed subsidiaria est, prout docet, *Tit. 1. §. 15. Ord. Iud. Aulici* „ So dann zuseherst „ unsre Römische Kaiserliche Wahl = Capitulation, Reichsabschied, Religion = und Profanz = Frieden, und den jüngsten Münster = und Os = nabrückischen Friedensschluß nach Ausweisung des 17. Art. §. 1. 2. wie auch jedes Stans = des, Landes, Orts, und Gerichts, sonderlich „ die gebürlich allegirte und probirte Privilegia, gute Ordnung und Gewohnheiten, und „ in Mangel derselben die Kaiserliche Rechte „ und rechtmäßige Observaciones und Gebräuche in Acht nehmen, „ &c.

#### DE AVTHORITATE ET ORDINE LEGVM IN DECIDENDIS CAUSIS OBSERVANDO.

§. 70. Leges domesticas Imperii R. G. in ipso imperio plenam habere auctoritatem et valorem nemo dubitat ( §. 69. ) et in vulgus



gus notum est; quin et legibus peregrinis, sed receptis pondus legale inesse, cui dubium incidit! cum autem leges peregrinae constant collectionibus partim publicis, partim privatis, hinc de singularum Collectionum authoritate speciatim dicendum.

§. 71. Et quidem quod Corpus Iuris Civilis Romani attinet, constat Collectionibus publicis a) *Institutionibus*, b) *Digestis*, c) *Codice repetitae praelectionis*, d) *Novellis*, quae collectiones cum sint publicae (§§. 19, 35, 37, 38, 39.) adeoque vim legis habuerunt, et apud Germanos receptae (§. 69.) autoritate legali gaudent.

NOTA 1. *Authenticae* partim a *Friderico I.* Codici insertae sunt et haec valent, partim a privatis ex *Novellis* excerptae, Codicisque legibus subiunctae sunt, et haec copiae in tantum valent, in quantum concordant cum suis originalibus.

NOTA 2. *Rubricae* harum Collectionum publicarum vel sunt ab eo, qui το κειρον in republica tenet, aut eius iussu confectae, vel a privato praepositae! si primum vel continent integrum sensum et tunc obligant, sicut *Lex*, quo pertinent rubricae Institutionum, Pandectarum, Codicis integro sensu constantes, si non habeant perfectum sensum, etiam non habent vim legis, quia sub-



subditi, quid talis rubrica velit, intelligere non possunt; si autem a privatis sunt conscriptae, in nullo casu vim legis habebunt, quo pertinent rubricae Novellarum (§. 39-Notam).

§. 72. *Novellae Leonis* adiunctae quidem sunt Corpori Iuris Civilis et ab Imperatore Leone, qui eadem potestate legislativa sicut Iustinianus gaudebat; exinde tamen singularis et legalis autoritas illis non est tribuenda, siquidem probari non potest, quod unquam in Occidente in usum fuerint deductae, et sic sub illa communi receptione Iuris Romani non fuerint comprehensae restante praxi optima legum interprete; nec obstat, Corpus Iuris Iustiniani, cui *Novellae Leonis* sunt adiunctae in Germania esse receptum, siquidem recepimus Corpus Iustiniani, cui hae *Novellae* nunquam, nisi *post Dionysium Gothofredum* adiectae sunt. Qui ergo dici possent Germani Leonem unquam vel in minimo secuti? nisi dicas, quotidie adhuc nos nova recipere posse iura; Receptio autem peregrinorum a tempore Maximiliani et Caroli V. pendet, nec postea hic longius processere Doctores (§. 68.).

NOTA. Excipe tamen 1. si quis probare possit, hanc illamve *Novellam Leonis* in usum per consuetudinem venisse. 2. Si dubium aliquod Iure Civili nondum decisum det-

ter-



terminet e. g. in L. 22. *in fin. Cod. ad legem Cornel.* statuitur poena capitalis in falsarios, non autem determinatur, quanta debeat esse criminis falsi gravitas, sed haec determinatur in Novella Leonis 77, nempe si alius ex falso commisso mortis poena plebti potuisset.

§. 73. Reliquae Collectiones et Novellae a privatis collectae (§. 40.) non habent auctoritatem legalem, nisi in quantum usus illarum doceri potest.

§. 74. Ius feudale Longobardicum (§. 42.) Corpori Iuris Civilis adiunctum esse collectionem legalem, adeoque receptam, docet praxis quotidiana et plenius deduxi in mea Dissertatione supra citata §. 54. *Sectione 2. Cap. 1.*

§. 75. Corpus Iuris Canonici etiam constat collectionibus partim publicis partim privatis (§. 44.) publicae, quod attinet causas ecclesiasticas, habent apud Catholicos plenam auctoritatem, quia sub hoc respectu non sunt peregrinae, sed domesticae; respectu D. Protestantium in causis ecclesiasticis in tantum auctoritatem habent, in quantum 1) post Reformationem illud de novo receperunt, 2) in quantum cum eorum ecclesiae conceptu, salvis internis eorum religionis principiis et cum legibus eorum ecclesiasticis

E

par-



particularibus consistere potest, atque ita Catholicis adversus eosdem uti debent; intuitu causarum civilium publicae Iuris Canonici collectiones sunt legales et receptae (§§. 64, 66, 67, 68.) nisi aliquis Canon per Pacem Religiosam, Westphalicam aut alio modo sit sublati; non autem privatae.

§. 76. Decretum Gratiani tanquam collectio apogrypha et privata auctoritatem legalem habet, in quantum cum suis fontibus legalibus concordat, aut usu receptum probari potest; ita loquere de reliquis privatis Iuris Canonici collectionibus (§§. 52, 53.).

§. 77. Priusquam ordinem legum in decidendis causis civilibus adhibendum determinem, quasdam cautelas et regulas praeposendas existimavi; Lex ideo obligat, quia est voluntas Imperantis (§. 7.), adeoque si priorem voluntatem per voluntatem contrariam subsequenter tollat, prior voluntas non perdurat, adeoque nec prior lex; haec prior lex vel *secundum quid* tollitur, vel *in totum*<sup>2</sup> si *secundum quid*, dicitur *derogari* priori legi, et inde ortum est illud axioma 1) *Lex posterior derogat priori*; priusquam autem ad legum derogationes et abrogationes descendamus, 2) *tentanda prius est amicabilem legum compositio*, ad quam consequendam plurimum confert, 3) *si omnes circumstantias, in quibus lex aliqua condita est, accurate*



curate consideremus; praecipue hoc observandum est, si leges sibi invicem obstantes et contradicentes (dicitur hoc *antinomia* legum, quae vel *vera* vel *apparens* est) combinare velimus, prout tractatio ipsius operis in decursu ostendet; ad interpretationem plurimum etiam confert, 4) *si ad fontes, unde desumptae sunt, recurramus*, e. g. in explicatione Institutionum ad Pandectas recurrendum est.

§. 78. In decidendis causis a legibus specialibus ad magis universales gradatim est deveniendum, et cum ius civile Romanum et Canonicum tanquam iura subsidiaria NB. *communia* sint recepta, natura vero legum domesticarum prae peregrinis et subsidiarie receptis merito ius praelationis sibi vendicat; sequentes statuo regulas, observato ubique axioma: *Lex posterior derogat priori*.

§. 79. REGVLA I. *Qui se fundat in iure communi, tamdiu fundatam habet intentionem, quamdiu mutatio iuris communis non probatur*; quia mutationes rerum et legum utpote facta non praesumuntur, sed probari debent.

§. 80. REGVLA II. *Iudex debet prius respicere ad leges domesticas in decidendis causis, quam ad subsidiarias (§. 78.)*.

§. 81. REGVLA III. *Ad leges territoriales et Imperii domesticas pertinent leges in §§. 14. et*



17. citatae, nempe Iura Provincialia, Statuta et Privilegia, et hinc cum a specialioribus ad magis universalia sit progrediendum (§. 78.), Iudex debet attendere 1) an non adsit *privilegium causae vel personae* aut *Statutum*, 2) *inspicienda sunt iura patria et provincialia*, quo etiam pertinent *Consuetudines Patriae* 3) hisce deficientibus *ad leges Imperii universales* recurrere debet, si et in hisce decisio causae controversae haberi nequeat, *ad iura subsidiaria communia* est procedendum, et quidem primo ad *Corpus Iuris Civilis Romani*.

§. 82. REGULA IV. Quia lex posterior derogat priori, et Novellae sint posteriores Codice (§§. 38. et 39.) Codex *repetitae praelectionis* posterior Institutionibus et Pandectis (§§. 35. et 37.) sequitur, quod 1) in Iure communi primo Novellae, 2) Codex, 3) Institutiones et Pandectae sint observandae.

NOTA. I. Falsa itaque est regula illa communis, quod Institutiones derogent Pandectis, quia lex posterior derogat priori; nam falsum est Institutiones Digestis esse posteriores, siquidem uno, eodemque die et hora vim legis obtinuerunt (§. 37.). Quid autem si aliqua antinomia inter leges Institutionum et Pandectarum occurrit! *℞.* in dubio lex clara sive sit ex Institutionibus sive ex  $\pi$  semi-



semper praeferrī debet obscurae; si autem utraque lex obtans sit clara, 2) videndum, an lex Institutionum non possit ex  $\pi$  explicari, et antinomia tolli, si non possit tolli, tunc utique leges Institutionum praeferrendas esse ducerem, quia a) saltem sunt posteriores compositione, licet non obligatione; quia b) Institutionum leges utpote ex  $\pi$  extractae bis fuerunt ponderatae; quia c) in Institutionibus compilatione posterioribus facile constare potest de animo Imperatoris novantis.

NOTA 2. Novellae LEONIS nullum respectum merentur exceptis casibus in *Notam* §. 72. allatis, sicut et aliae Constitutiones privato et non authentico studio confectae (§. 73.) in quantum nempe illarum autoritas per consuetudinem et usum probari potest.

§. 83. REGVLA V. Quia et Ius Canonicum quoad Civilia est receptum ex superius deductis, deficientibus legibus civilibus ad Ius Canonicum recursus est sumendus, et quidem, quia lex posterior derogat priori, Deciso casus hoc ordine quaerenda est in Corpore Iuris Canonici 1) in Extravagantibus, Communibus 2) in Decretalibus IOANNIS XXII, 3) in Clementinis, 4) in sexto libro Decretalium 5) in Decretalibus GREGORII IX. 6) in Decreto Gratiani, in quantum cum



fontibus legalibus convenit, aut usus receptus probari potest.

NOTA. 1. Reliquae collectiones privatae in §§. 52, 53. enumeratae, quia nullam auctoritatem de se habent (§. 75.) non veniunt in considerationem quoad decisionem causarum civilium, nisi in aliquo casu usus et receptio probari queat.

NOTA. 2. In Foro Ecclesiastico tanquam foro proprio Decretales sunt leges domesticae (§. 74.) adeoque ibi maiorem, imo maximam et primam auctoritatem habent.

NOTA. 3. Quid autem si Ius Civile et Canonicum tibi contradicant? R. Lex clara semper praefertur obscurae supposita autem vera antinomia Lex civilis praefertur Canonici, quia Lex civilis ex scopo suo, natura et fine causas civiles tractat, ad Leges autem Ecclesiasticas ex fine sibi debito causarum civilium decisio non pertinet; nec etiam praesumi potest, Imperantes civiles per receptionem Iuris Canonici leges ex natura sua & studio causas civiles decedentes postponere voluisse; occurrit tamen exceptio continua praxi firmata, ubi Ius Canonicum praefertur ipsi Iuri Civili 1) in materijs *conscientiam primario et immediate*



diante tangentibus e. g. in materia Iuramentorum, 2) ubi notoria praxis est, Ius Canonicum in hac, illave materia Iuri Civili praeferri e. g. in materia sponsalium, matrimoniorum et ordinis processualis (§. 50.); illam aurem exceptionem intuitu conscientiae factam noli nimium extendere, ne sub hoc praetextu omnes regulae a me datae funditus destruantur, et mea lamenta cum aliorum lamentis iuncta inaudiantur.

§. 84. REGVLA VI. Si in omnibus hisce legum speciebus nullum solatium Iudex invenerit, *Ius Feodale Longobardicum tanquam receptum cum Corpore Iuris Civilis Romani (§. 73.) ad eundum erit.*


NOTA. In causis feodalibus sicut Ius Canonicum in causis ecclesiasticis, Ius Feodale Longobardicum prae aliis Iuris speciebus praerogativa gaudet; et licet ex fine primario non decidat quaestiones mere civiles, sed feudales, nihilominus est Ius receptum, et hinc etiam in hoc ordine a me observato obtinebit.

§. 85. REGVLA VII. *Silentibus omnibus legibus causa in iudicium deducta ex analogia seu similitudine casuum in legibus decisorum est decidenda; quia sic iudex, quantum potest, ad voluntatem*



luntatem legislatoris se accomodat, et cum Legislator in hoc casu hanc decisionem dedit, quid aliud praesumi potest, quam quod in simili casu, ne sibi contradicat, eadem ratione sententiam dici velit.

NOTA. Si in legibus plures casus similes (similior enim praefertur) occurrant, tunc idem ordo in causa per similitudinem legum decidenda est observandus, quem quoad expressas legum decisiones observandum haecenus adsignavi.



MC



nm  
de-  
od  
em

fi-  
nc  
em  
em  
b-

12.11


**ULB Halle**

3

006 635 067









*Pr. d. num. 1*

GEORGII HENRICI POTSCHKA  
I. V. L. AC IN SVPREMO S. R. I. CAMERALI  
IVDICIO PRACTICI

PROLEGOMENA  
IN  
IVS CIVILE  
ROMANVM

AD  
FACILIOREM TYRONVM CAPTVM  
METHODO SIMPLICI ET NATVRALI  
CONSCRIPTA,  
ANNEXO INSIMVL CONSVPECTV SCHEMATICO  
INTEGRARVM INSTITVTIONVM SVO TEMPORE  
ELABORANDARVM.

*P. 176.*



KONFRIED  
UNIVERS.  
ZVHALLE

*Ms 3704*

WETZLARIAE,  
IMPENSIS PHILIPPI IACOBI WINCKLERI, SEN.  
MDCCLXXVI.

28. 2. 06.

Farbkarte #13

B.I.G.

Blue  
Cyan  
Green  
Yellow  
Red  
Magenta  
White  
3/Color  
Black

Inches  
Centimetres  
1  
2  
3  
4  
5  
6  
7  
8  
9  
10  
11  
12  
13  
14  
15  
16  
17  
18  
19